

norum exempla, omnia revocanda sunt, de quibus in Scriptura & Historia Ecclesiastica. Hac enim repeti commodè possunt, five ex vitio quodam ac redundante humore, phantasia è statu dimota morbo, vel tandem acutissimis criminose conscientiae stimulis. Ita pariter datà proportione valetudines omnes Energumenorum explicandae sunt.

At enim Jesus Christus, Apostoli, & Ecclesia versantur in errore, vel saltem erroris nobis nec invitis ansam præbent, id agentes, & scribentes, veluti si reipsâ agi homines à Dæmone persuaderentur. Jesus Christus sermonem habet ad Dæmones, Energumenorum corpora possidentes: imperat illis, & ipsi vicissim parent; argumenta exhibent præsentiae suae & potentiae, violentis convulsionibus miseros discerpentes, projicientes in terram, veluti mortuos relinquentes, ac tandem in gregem porcorum insipientes, quos præcipites agunt in mare. An hac phantasiae ludibria sunt, & morbi symptomata? Offeritur Jesu homo ab agente intus Dæmone loquendi & audiendi facultate privatus. Pulsus est Dæmon, & continuo salva omnia. Quid minus fucatum? Si depulsâ prius furditate, tum nobis exactus Dæmon obtruderetur, suspicandi esset ansa, num Dæmonis nomine ipsa tantùm furditas designaretur. Sed discretè admodum Scriptura pulsum antea Dæmonem, ac inductam postea valetudinem expressit (1). Nonne Ecclesia in precum à se institutis formulis & in adjurationibus, obsideri reipsâ à Dæmonibus corpora tenet aperitissimè? Ludit, & illuditur profecto, non orat, si Dæmoniaci vana sunt otiosorum commenta.

1 Luc. 11. 24. Et erat ejiciens Dæmonium, & illud erat mutuum: & cum eiecisset Dæmonium, locutus est mutus, & admiratae sunt turbae.

Hicce omnibus reponitur, nec Jesum Christum, nec Apostolos, nec Ecclesiam refutandas suscepisse vulgi opiniones omnes & præjudicia; nihil pariter moratos ritus jam communi usu phrasas, parùm utique exactas, & veritati minus coherentes. Notæ sunt præposteræ Judæorum ejus ætatis, tum & Apostolorum de Regno Messiae ideæ; sicut & de futuro sæculo, ac de aliis pluribus multæ. Jesus Christus ad finem usque vitæ rudiores illos indoctosque pertulit, Spiritui Sancto relinquens, ut præceptis & doctrinis institueret, mentem aperiret, ac cætera omnia doceret, quæ ipse quidem sæpe, absque eo quoddam illi assequerentur, exposuerat.

Solebant Judæi plerumque, morbos omnes sanctas esse criminum consecutiones rati, Dæmoni auctori tribuere; quorum errorem destruere, censuit Jesus supervacaneum; ne quid dicam de erroribus rerum philosophicarum & naturalium, quos utique corrigendos nequaquam suscepit. Cum horum omnium scientia nihil ad salutem conferat, ut docerentur à Jesu Christo, nihil erat. Quot autem ferebantur errores de Angelis, & Spiritibus per visum apparentibus, de malorum spirituum potestate, de exantationibus, & Magiâ, qua omnia Jesus reliquit intacta. In rebus Anatomicis & Medicis nihil vel parùm norant Hebræi, quemadmodum ex verbis illorum

intelligimus. An igitur hosce illorum errores adoptabimus, quoddam Scriptura, ut legitimum capti sese accomodet, in suis illam phrasibus insinuat & veluti consecrat?

Cùm itaque ita loquuntur Sacri Scriptores, veluti si ægroti illi, ad sanitatem à Jesu Christo restituti, possiderentur reipsâ à Dæmone; si ponere tamquam certum videntur, Dæmone miserorum corporibus insidere, quæ proinde corpora loquendi & audiendi privat facultate, incurvat, manâ cogit laborare, cruciatibus torquet; hac ad populi præjudicia accommodata sunt. Quæ sanè præjudicia sectari interdum coguntur, verba ad populum vel facientes, vel scribentes Philosophi etiam, & Viri quique docti. Si quis Medicum accersat ad curandum hypocondriacum, an ille continuo præjudiciis ægroti se præbebit adversarium, quietem ejus conturbans, suadens ponere mentis errorem, & salva esse omnia, neque enim reipsâ esse quod tamen ipse de se firmissimâ mentis persuasione tenet, nempe glaciem, nivem, equum, cuniculum? Sapientis est Medici, ut primùm statum suum reddat humoribus; tum si fortè artificium aliquid excogitaverit, ut errantem revocet, five ut phantasiam ægroti corrigat, statim adhibet, eâ tamen cautione, ut dicta sua omnia & facta ad circumstantias & habitudines languentis accommodet. Ita planè Jesus, bonitatis & sapientiae consilio, non sine magno patientiae documento cum Judæis præstitit.

Ad Ecclesiam quod attinet, Institutæ ab illa adjurationes non unius sunt generis; sunt enim quædam pro infantibus ad Baptisimum oblati, qui cum peccato Originali obnoxii teneantur, ita habentur ab Ecclesia, veluti si Dæmonis potestate subessent. Sunt etiam adjurationes salis & aquæ, antequam benedictionibus consecrentur; quod eâ persuasione præstitum est, veluti si ab Infernis potestatibus, circumfusum aerem instantibus, imperium aliquid in alia etiam elementa & in fructus exerceretur; quem Ecclesiae morem, utpotè è traditionibus totâ vetustate probatis repetitum, meritis laudibus prosequimur. Tandem adjurantur homines & loca, quæ à Dæmone infesta reputantur; qua in re nihil antiquius ducit Ecclesia, quam ut Ministros suos summâ circumspectione uti illis admoneat.

Teneri illa quidem eâ persuasione videntur, Dæmones interdum ita prævalere, ut homines quosdam infestent, five ad exigendam latentium criminum ultionem, five exercendæ virtutis illorum, five manifestandorum operum Dei gratiâ. Ita loquitur, veluti si à Spiritibus teneri corpora, torqueri, ac insidari contumaret. Sed hæc loquendi phrasas numquid cen è vulgari sermone adoptata haberi non possent, quarum tamen expressam nimis & literalem significationem nunquam urgeat Ecclesia? Lustralis aquæ aspersiones in loca etiam maximè sacra, sicut & in homines, docent utique eâ persuasione teneri Ecclesiam, quasi scilicet Dæmones circumfusum undique

que aerem & loca etiam maximè sancta infestent; sed mos iste & persuasio inestimabile nihilominus rei argumentum non conficiunt. Religiosæ sunt consuetudines è religiosa quadam persuasione deductæ, quibus tamen nihil certi nec fide divinâ exploratis; subest. Itâ, datâ proportione, de adjurationibus philosophandum: illis uti neminem cogit Ecclesia; neminem etiam damnat, si utatur: dari reipsâ Energumenos non negat, sed reputare etiam possumus, nunquam Fideles ad eam persuasionem obligare, five negantes fidem illis suam adhibere nunquam condemnare; vel saltem ratio incommodum illud dari aumat.

Si verò problematica res est, neque Ecclesiae auctoritate ad illam credendam tanquam fidei dogma cogimur; præferenda est utique sententia negans dari Energumenos; ea enim arctiores intra fines virtutem Dæmonis cogit, vulgaribus superstitionibus minus favet, ambigua omnia prodigia è religione summovet, ut sua fides veris probatisque asseratur. Ad hæc, simplici & naturali expositione Textus plures Sacrae Scripturae declarat, magnis alioqui difficultatibus implicitis, ac genuinam suppeditat rationem, quare in hac sæculorum luce apud gentes minus credulas minor sit Dæmoniacorum frequentia, quam in tenebrosis alterius ætatis sæculis, & apud rudes ac superstitionis nationes.

Quas tandem adhibet Ecclesia loquendi phrasas in adjurationibus, ad similes alias Scripturae referri constat; quare sicut Scripturae locutiones commodè exponi posse absque admittâ Energumenorum veritate demonstravimus, ita pariter de Ritualibus Libris Ecclesiae reputandum. Nunquam Christus discretis verbis Ecclesiae suæ asserit quandam & perpetuam auctoritatem concessit, seu vim patrandorum miraculorum, pellendorum nempe Dæmonum, vim, inquam, formulis hicce alligatam. Sunt ergo adjurationes puræ putæque Ecclesie præces cum invocatione nominis Jesu Christi, ad solatium ferendum ægrotantibus in corpore, & inducendam valetudinem menti illorum, qui possideri se à Dæmone autumant.

Quantum recepta Judæorum persuasio favere Energumenorum veritati satis constat, ex eorum tamen Libris intelligimus, plures ex illis in speciem tantùm dari illos autumasse. Josephus Antiq. l. 7. c. 25. discretè asserit, cruciari homines à scelestorum animabus, quæ paratum sibi suppliciorum locum petere recusantes, mortale aliquod corpus occupant; angunt, discernunt, nihil relinquentes intentatum, quod mortem inducant. Vulgò Judæi olim tenebant, pelli Dæmones magicis operationibus, simplicium quorundam, & odoramentorum virtute, exantationibus, ac tandem invocatione nominis Dei, & ipsius pariter Beelzebub. Fumo jecoris extersati piscis pulvis Dæmon Amodeus legitur Tob. 6. 19. & 8. 2. 3.

Carmina quadam mulcendis morbis & adjurationum adversus Cæcodaemonas, ut

è mortalium corporibus foras agerentur, formulas scripsisse Salomonem narrat Josephus Antiq. l. 8. c. 2. Addit pariter, Eleazarum quendam Judæum Energumenos quosdam coram Vespasiano liberasse, subjectâ naribus radice à Salomone indicatâ; quam annulo alligatam tenebat, adjecit pariter invocatione nominis ejusdem Principis, & indicatâ ab illo precum, vel adjurationis formulâ. His simul omnibus præstitis, decidebat in terram ægrotus, & secedente Dæmone, nullo inde dolore torquebatur.

Jesu Christi adversarii calumniam in illum struxere, veluti si in nomine Beelzebub Principis Dæmonum spiritus illos malos depelleret (u). Hæc objicientibus u Matt. 12. 24. Pharisæis reposuit ille (x): Si ego in Beelzebub ejicio Dæmonia, Filij vestri in quo ejiciunt? Ponit ergo inter Judæos notos fuisse Exorcistas, Dæmones aliter sanè felentes, quam ad invocationem nominis Beelzebub; ex quo facile inferitur, alias iniri potuisse tunc rationes, quam adhibitâ ope nominis Beelzebub, ut proinde nonnisi impudentissimè de usurpato eo nomine Jesus accusaretur.

Legimus Act. 19. 14. filios Scævæ, à Discipulis Jesu Christi utique alienos, id sibi muneris suscepisse, ut Energumenos exorcismis adjurarent. Sed cum invocatione nominis J. C. quem Paulus prædicabat, Dæmoniacum quendam aggredierentur, exprobravit ille: Jesum novi, & Paulum scio: vos autem qui estis? Tum in duos ex illis insiliens, arripuit, & pessimè ad eum excepit, ut vulnerati & seminudi fugâ se subducere cogerentur. Ex his omnibus exemplis consecutiones statim deducam.

Rabbini, & maximè Maimonides, Scripturae stilo assueti, solent non rarè morbis certa Dæmonum nomina tribuere. Ita e. g. Cordeum (y), five Cordacum appellant Dæmonem, qui multo ebris præsidet, vel juxta eorum expressionem, iis, quos nullum cogit renunciare torculari. Docet Maimonides, Cardiacum genus esse morbi epileptici, ex regurgitantibus vasis cerebri, & turbatâ spirituum œconomia causati. Assignant alibi (z), nomen Schibza z Aruch. in. Schibza. Dæmoni, qui infantes in nodo cervicis apprehendens, aentes reddit, & nervis contractos.

Expreserunt facillè Hebræi veteres Græcorum Philosophos, & Medicos, nomina interdum certorum Dæmonum tribuentes latentibus quibusdam, & minus cognitis morbis, uti apoplexiæ. Quem morbum Plato Dæmonem appellavit, alii cum Galeno tribuerunt Lunæ (a). Epilepsiam Græci designarunt nomine morbi sacri (b), quoddam scilicet insuetum ad eum & ignotum morbum nonnisi à Diis induci posse reputarent.

Juxta has hypotheses Rabbiorum, & Philosophorum, Energumenorum numerus magis quam pro communi opinione restringitur; rari enim sunt qui vel errantibus phantasiae ludibrio, vel morbi cujusdam vitio, vel turbatâ humorum œconomia in eam persuasionem non venerint, rati

Luc. 11. 15. &c. Luc. 11. 19. 20.

y Vide Maim. & alios in Gittin c. 7. 8.

1.

z Aruch. in. Schibza.

a Galen. 2. parte Oper. tract. 9. p. 402. Vide Beckerum l. 1. c. 27.

Mundi exantati. b Hippocrat. l. de sacro morbo.

rati hac omnia, quorum latentes & causae & remedia, ad Dæmonem referri oportere.

Si verò Spiritus homines infestantes ipsæ sunt impiorum animæ, juxta opinionem Josephi, frustra hac omnia obsessio. exempla ad Dæmones referantur; neque cum veritate satis congruunt quæcumque supra animadversa sunt de phrasibus Scripturæ, & loquendi formulis Ecclesiæ solemnibus. Multò tamen verosimilius crederetur, Josephus suam tantum conjecturam eâ de re obtruisse; constat enim ex Novo Testamento Judæorum vulgarem opinionem multum Energumenis fuisse. Sed quid eâ de re philosophabantur Hebræi? Tenebant, Dæmones corpora hominum subeuntes, morbos ferè omnes tam exterius parentes quàm intimos inducere; pelli verò posse exantationibus, & magicis aliis arcanis; uno verbo, integrum esse Beelzebub Dæmoniorum principii ut subjectos sibi Spiritus pro arbitrio ad homines dimitteret avocaretque; ac tandem Beelzebub ipsum cogi vi magicâ posse.

Profectò si pellere Dæmones è corpore magicæ est operationis, audacter affirmo nullos dari re ipsâ Dæmoniacos; 1. Quòd nihil est nisi fucatum in Magia; 2. Quòd si Dæmones corpora obsident, datum id malis illis Spiritibus à Deo censendum est, permittente Deo, ut singularis ille Dæmon singularem hunc hominem aggrediatur: quæ si vera sint, nulla est in Energumenos Magorum autoritas, nulla Beelzebub; nihil est enim, cur imperet Dæmoni, cui Deus, ut hominem obsideat, permittit; exantationes, herbarum vires, & Dæmones simul omnes nihil valebunt adversus summi Dei imperium.

Certò nihilominus constat ex Historia, successisse interdum Paganis, & Judæis, seu potius Veneticis, ut Dæmones pellerent. Commenta sunt, ergo, & ludibria quæ de Energumenis feruntur; sicuti magicæ artes omnes, quibus illi convalescunt, nihil habent solidius. Si nunquam apud homines inita est ratio pellendi Dæmones corpora obsidentes, id profectò tribuendum est virtuti medicinæ, seu virorum sapientum industria, qui phantasia errorem corrigere noverunt: hoc totum ejus rei prodigium. Utrumque Jesus non sine miraculo præstitit; uno ejus imperantis verbo hac omnia statim facta sunt absque invocationibus, nullâ carminum vi, nullo humani artificii invento, nullo studio, labore nullo.

Istæ, quæcumque sint, Dæmonum intus in corpus agentium infestationes, nulla veritatis suæ exhibent argumenta, sive Energumenis ipsis, sive nobis hæc omnia intuentibus. Indicia sunt nobis maxime ambigua adeoque incerta; quæcumque enim observamus in Dæmoniacis, ipsa pariter non raro spectare licet in hypocondriacis, eruciantur enim, agitantur, loquelâ carent, à Dæmone teneri se credunt & creduntur, curantur Exorcismis, sicut & vividis quandoque impressionibus, qui-

bus sensus vel phantasia afficiuntur, oportunitis adhibitis medicaminibus, ætate, humorum crisi, fraude interdum solerti. Nihil est ergo satis assertum, quo de Energumenorum veritate persuadeamur.

ARTICULUS II.

Rationes Energumenorum veritatem demonstrantes.

Dari re ipsâ Energumenos, asserta est Scripturæ, Patrum, Judæorum, Paganorum, Veterum, & Recentiorum sententia. Tantæ autoritati quis repugnet? Ipse se Jesus Christus & Apostoli vel persuasos de ejus rei veritate demonstrant, vel ita loquuntur, veluti si ne ambigerent quidem. Tantis testibus quid opponatur? Missionis suæ argumentum exhibens Jesus Christus gloriatur se Dæmones pellere (c); quam pariter virtutem Apostolis suis communicaturum se proficitur [d]. Utrique palam omnibus potestatem hanc suam exercent. Jesus verba ad Dæmones facit, imperat, minatur, silentium indicit, jubet è corporibus facessere; & verò loco depulisse, indicio valetudinis restituta è morbis, quos mali illi hospites induxerant, ad sensum demonstrat.

Ludibria hæc sunt, si mentes quasdam humanis superiores attendas. Dæmones ibi nulli, nulli Dæmoniaci, Energumenorum restituta valetudines nullæ. Vitium erat cerebri, vel errantis phantasia sinistra persuasio, quæ facum miseris illis faciebat. Jesus Christus, & Apostoli, si philosophantes viros illos audias, prudentes, volentes, libentesque populos errori suo permiserunt. Satis hæc, ut erratica ista ingenia ad recta deducerentur.

Negant fieri unquam posse, ut spiritus ipse per se agat in corpus; nulla est enim inter corpus & spiritum affinitas. Motui tantum, quieti, & figuræ apta materia, reliquis omnibus functionibus inepta est; nihil tale spiritus agere potest in materiam; quare agendi in materiam spiritui nulla est facultas. Non ergo valet Dæmon hominis corpus aliquod obsidere, non movere loco; non voces in illo formare.

Repono, Dæmonem nunquam propriâ virtute, autoritate, & insitâ à natura vi corpus obsidere; sed divinâ id præstat, concessâ sibi, facultate, quæ Dei voluntas ipsa rerum omnium natura censenda est. Sit hoc, effo, singulare quoddam Dei volentis consilium; sit supra consuetas naturæ leges, sit prodigium. Post hæc omnia, miraculum illud, si quod est, nihil superat subjectam nostris assidue oculis unonem animæ cum corpore, & mutuam motuum ac sensuum inter utrumque affinitatem, quorum alteri altera occasionem præbet, & veluti fomentum.

Frustra hic miracula miraculis cumulare sine necessitate accusamur. Frivolum est enim hoc, cum de facto ipso constat; nec satis est argumenti, etiam si de facto ipso ambigeremus. Neque enim exploratum

c Luc. 7. 20.
21.
d Marc. 16.
17.

tum est nobis, quòd Deus limites virtutis suæ præscribere constituit; ignotum quæ nobis argumenta præbere velit suæ in prodigia virtutis. Nunquam exaggerare miracula absque necessitate accusamur, quousque nec nova, nec ficta, sive incerta adducerentur in medium. Ipsi autem fatentibus adversariis, quæ narratur de Energumenis historiæ, nec recentia sunt inventa, nec ficta, nec ambigua. Ipsorum est ergo ut demonstrent, nullos dari Energumenos, antequam accusationem suam de exaggeratis temerè prodigiis fruunt.

Quid? an multiplicentur nimium Dæmoniaci Jesu Christi ætate, ut de reddita illis sanitate argumentum pro asserenda ejus divinitate ducatur? Potuisset ille angustiores præscribere miraculis fines; nemo autem hucusque illum accusavit de exaggerata in immensum absque necessitate prodigiorum copia. Nec nos defendendum suscipimus, infestationes Dæmonum vel prodigio tribuendas esse omnes, vel restitutas Energumenis sanitates continuò ad prodigium deputari. Valet enim Energumenus ab agente intus Dæmone per adjurationes & institutas Ecclesiæ preces sine miraculo liberari. Teneri à Dæmone hominem, nisi circumstantiæ alia adjungantur, fieri utique potest sine prodigio. Neque enim concessa à Namine malis Spiritibus facultas agendi in corpora, in sensus, in organa, quin & in ipsam hominis animam, prodigii loco à nobis habetur, cum nihil adverteretur consuetis naturæ legibus; sicut animæ cum corpore unio ac alterius cum altero consensio juxta naturam est maxime.

Cum ergo possideri verè à Dæmonibus corpora notet Scriptura apertissimis verbis, & eâ persuasione tenerentur, vel saltem teneri se significat verbis & factis Jesus Christus, & Apostoli; cum neque factu id esse impossibile, nec naturæ legibus repugnans satis constet, pro earum veritate sententia jure meritoque ferenda est. Huic autem judicio fidem vindicat principium illud, quòd scilicet si fortè Textus clarus & apertus Scripturæ aliquid ferat, neque contrarium suadeat five rei apertissima veritas, sive repugnantia, quæ fortè occurrant, sive absurda aliqua adversus Religionem, & veritates revelatas consecutiones (e); nisi, inquam, hæc omnia adverterentur, pro sensu maxime pronò judicandum est. Nunc autem omnia recurunt, nihil est repugnans, nihil absurdum, impium nihil: veritas ergo litera tenenda.

Opponunt, rem esse hanc, de qua tractamus, explicatu difficilem; si enim obsideri homines à malis hisce Spiritibus statuantur, duo erunt agendi in uno eodemque homine principia, duæ velut animæ in uno corpore. Sed nihil est in hac re magis arduum, quàm quòd singulis momentis accidere spectamus in nobis, ex quo in contraria studia variis & inter se pugnantibus passionibus distrahimur, seu ante nos positus repugnantibus objectis afficimur. Homo à Dæmone occupatus, non semper à Dæmone agitur & movetur.

Dissert. Calmet. Tom. 11.

Datis temporum intervallis superiora tenet in illo voluntas, Dæmoni resistit, reluctatur. Quando ultro admitteremus, liberam agendi facultatem suspendi, & veluti alligari in homine, cum obsidente Dæmone agitur, quid inde consecutionis inferretur? Nonne per quietem noctis homines & loquuntur, & agunt? nonne gradiuntur, vestibus ornantur, nihil tamen inde sentientes, sopitâ prorsus cum spiritu libertate? Citra prodigium hæc tamen omnia, nec illum sequitur absurdum. Tandem & de Energumenis philosophis: alto sopore demersa anima cessat ab agendo.

Si verò Deus dispositionis suæ consilio permittat interdum, ut pueri statim à Baptismo, & castissimis moribus homines Dæmonem habeant contubernalem, valent hæc omnia ad opera Dei ejusque potentiam manifestandam, ut rectissime de illis usurpari possit effatum Jesu Christi ad Apostolos interrogantes (*): *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quibus ille: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus: sed ut manifestetur opera Dei in illo; ut scilicet Jesu Christi visum illi restituentis gloria, tum & virtus, ac misericordia Dei in illo claresceret.* Non est profectò nostrum, ut limites Deo præscribamus, neque de operibus illius quæramus rationem. Quando illi qui malo aliquo afficiuntur, proficere inde non possent, satis est, ut de illis documentum aliis præferatur.

Si ea nobis federet opinio, historias omnes tam sacras quàm profanas, quæ de Energumenis feruntur, cum veritate constare, nos utique urgeret illud adversariorum, ecur in certis quibusdam locis, & apud quosdam superstitione vacuos homines nihil tale occurrat? Ecur mente plerumque minus sanis, & tenui imbecillique corporis habitudine, tum vitiatum corpore incommoda illa acciderint? Fatentur enim plurimum esse in rebus ejusmodi inane, falsi plurimum; nec nos defendendam veritatem suscipimus, nisi eorum quæ suppeditat Scriptura. Satis habemus demonstrasse, dari quandoque sincera ejus rei exempla, nec nisi præposterè omnia, indiscriminatim rejici; ac tandem quæ referuntur in Evangelio, omnes præferre sinceritatis characteres.

Et re quidem Ecclesiæ est, si ab onere inanum superstitionum & miraculorum ad arbitrium confictorum relevetur; sed vera pariter prodigia pervicacius denegare, fidem abnuere historiis ab Authoribus Canonicis relatis, sive in sensum minime pronum & inauditum illos detorquere, nunquam fieret sine imbecillium offendiculo, nunquam sine Ecclesiæ discrimine, quæ detractis armis, & argumentis nuda exponeretur telis adversariorum. Equid est aliud pyrronismum inducere, atque effugare in sententiis licentiam? Singuli pro arbitrio explicandum sensum Scripturæ ad sua præjudicia nostræ mysteria novis hisce excogitatis interpretationibus in clas-

K k k
sem

* Tom. 9. 2. 3